



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CXCIV. Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium,
quo indulsit quatenus Vicarii Generales Congregationis Hispaniæ, Ordinis
Fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

CXCIV.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo indulget quatenus Vicarii Generales Congregationis Hispaniae, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum pro tempore, quo extra Capitulum ad dictum munus in vim statutorum Ordinis, & Congregationis huiusmodi subintraverint, eisdem privilegiis, & exemptionibus, quibus electi in Capitulo fruuntur, in posterum fruantur, & gaudeant.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declaratio, de qua in Rubrica, alias emanavit a Clemente XI. pro Prioribus Provincialibus.

§. 1. **N**uper pro parte dilectorum Filiorum Vicarii, & Definitorii Generalium Congregationis Hispaniae Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationi Ven. Fratrum Nostri S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita expositio, quod alias se, re. Clemens Papa XI. Praedecessor noster per quosdam suas desuper in simili forma Brevis die 13. Februarii 1704. expeditas literas, quarum initium est: Nuper pro parte &c. omnibus Prioribus Provincialibus eorundem Ordinis, & Congregationis, qui in eodem officio extra Capitulum, & in defectum Priorum Provincialium in Capitulo electorum subintrabant, juxta praescriptum statutorum dictorum Ordinis, & Congregationis auctoritate Apostolica confirmatorum omnia, & singula privilegia, & exemptiones, quibus Priores Provinciales in Capitulo electi frui solent, concesserat.

Petitur, ut idem concederetur Vicariis Generalibus.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod eadem erat ratio respective quoad Vicarios Generales eorundem Ordinis, & Congregationis, qui in vim statutorum praedictorum, pariter in officio Vicariis Generalibus extra Capitulum in defectum Vicariorum Generalium in Capitulo electorum, succedebant, cupiebantque propterea dicti Exponentes, ut eadem Congregatio Cardinalium idipsum pro Vicariis Generalibus extra Capitulum declararet. Emanavit a praedicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

S. Congregationis Decretum.

§. 3. Sacra Congregatio Eminientissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, ad quam Illustrissimus Dominus noster supplicem libellum remisit, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, ac attenta relatione Eminentissimi Domini Cardinalis Firrao praefati Ordinis apud S. Sedem Protectoris, Oratorum precibus benigne indulget, quatenus Vicarii Generales pro tempore, qui extra Capitulum ad dictum munus in vim statutorum Congregationis subintraverint, eisdem privilegiis, & exemptionibus, quibus electi in Capitulo fruuntur, in posterum fruantur, & gaudeant. Romae 22. Februarii 1737. Franciscus Cardinalis Barberinus L. Archiepiscopus. . . Sec. Loco & Sigilli.

Confirmatur a Pontifice.

§. 4. Cum autem sicut dicti Exponentes Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum huiusmodi, quo firmiter subsistat, Apostolica Confirmationis nostrae patrocinio communiti summo pere desiderant. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & abso-

lutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praefertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregationis huiusmodi & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Martii 1737. Pont. Nostri Anno Septimo.

Sicque servandum statuitur.

Obstantium derogatio.

Dat. die 3. Martii 1737. An. VII.

Confirmantur duo Decreta edita in Conventu Generali Congregationis Missionis ad tollenda dubia, quae suboriri possent super intelligentia Constitutionum ejusdem Congregationis.

CXCIV.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis coelitus Apostolica servitutis munere illa, quae pro felici directione, & tranquillitate Congregationum Vironum Ecclesiasticorum in Ecclesia Dei pie, sanctaeque institutarum, ac uberes bonorum operum fructus studiosa charitate jugiter proferentium, prudenter, provideque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis patrocinio libenter roboramus.

Procemium.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Coutii Superior Generalis Congregationis Missionis, quod in novissimo Conventu Generali ipsius Congregationis anno proxime praeterito in Civitate Parisien. habito bina decreta pro dirimendis, tollendisque aliquot dubiis, quae super intelligentia, seu interpretatione nonnullorum Articulorum Constitutionum ejusdem Congregationis auctoritate Apostolica confirmatarum progressu temporis facile suboriri potuissent, edita fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

In Conventu Parisiensi duo edita Decreta.

§. 2. In Conventu generali Congregationis Missionis, qui mense Martio an. 1726. Parisiis celebratus est, mota est de numero suffragiorum necessario, ut mediam partem excederet, controversia. Cum enim Electores essent numero impares, dubitabatur, utrum major pars censenda esset media parte superior; Re itaque mature expensa, audisque singulorum sententiarum definitur Conventus, ex triginta quinque Electorum, quibus constabat, suffragiis novendecim requiri,

Quomodo intelligenda sit major pars suffragiorum super medietatem.

ut